



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

485. An etiam sufficiat notitia extra judicialis, seu quòd se informet extra judicialiter, dum vult cassare electionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

quod, si tamen adesset lex, quæ & in hoc casu præcepisset inquisitionem fieri, eam debere servari, per quod satis indicare videtur, modò non existere talem legem: adeòque dum ea inquisitio præcipitur *c. nihil. c. postquam*, hunc casum excipi.

Questio 484. Qualiter sumenda ista informatio super valore electionis, & electi qualitatibus, an judicialiter, an extrajudicialiter; an inquirendo specialiter, an generaliter?

Respondeo ad primum: ubi confirmator procedi judicialiter examinatis testibus cum juramento, debet hæc inquisitio fieri judicialiter, examinando nimirum testes cum juramento. Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Donat. To. 2. tr. 7. q. 5. n. 6.* (ubi etiam quòd judicialiter sit procedendum, ubi electus habet malam famam) Pass. *de elect. c. 33. n. 89. & n. 140.* ubi; quando pars instat pro cassatione, seu sunt oppositores, aut datur coelectus, judicialiter procedendum est, & institui debet processus, & procedi ordine juris servato, pro quo citat Marefchot. *l. 1. variar. c. 42. n. 30. Sigism. dub. 44. n. 8.* Quamvis & hoc ipsum limitet Pass. *cit. n. 140.* dum ait, quamvis, quando etiam proceditur ad instantiam partis, lis & iudicium sit contentiosum, procedi possit sine strepitu & figurâ iudicii, ut in confirmationibus Abbatissarum. *c. indemnitatibus. §. sane. de elect. in 6.* Vel si Judex habet privilegium, ut sine strepitu procedat. Ex quo tamen ad instantiam partis procedit, non potest omnino sine forma iudicii procedere, sed parte instante debet illi, quæ iuste petit, concedere, etiam in modo procedendi.

2. Verùm per se loquendo non est necessaria hæc judicialis inquisitio, sed sufficit, confirmatorem inquirere per famam & literas testimoniales. Pass. *cit. n. 89. & 111.* dicens, hinc positum id esse in confirmatoris arbitrio, ut juxta qualitatem personæ, criminis, vel idoneitatis præsumptæ, & conditione negotij agat, quod opportunum videbitur, ac citans pro hoc Abb. *in c. postquam. de elect. n. 5. Peyr. in formular. lit. E. c. 18. n. 3. Sigism. dub. 44. n. 8.* Idem tenet Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Gonz. ad reg. 8. gl. 9. §. 1. in annot. contra nullitat. & attentat. in caus. benef. n. 43.* ubi; quòd juxta formam *c. fin. de elect. in 6.* disponentis, ut in confirmatione electionis vocentur competitores per edicta, & admittantur oppositores, interdum procedi potest extrajudicialiter, & interdum ac plurimum processus fieri debet cum cognitione causæ, & in contradictorio iudicio, & requiritur diffinitiva pronuntiatio secundum casus & occasiones occurrentes, & prout natura negotij postulat. citat pro hoc Lambert. *de jurep. l. 2. q. 11. a. 4. n. 3. & q. 8. a. 11. & Franc. in c. constitut. de appell. n. 9.*

3. Unde jam etiam ad hanc electi idoneitatem probandam pro confirmatoris satisfactione non est necessaria judicialis plena probatio, sed sufficit extrajudicialis, & quæ habeatur per testes non juratos, & deponentes de voce, & fama, & per literas testimoniales, & omni viâ, quæ moralem certitudinem possit inducere, eò quòd confirmator debeat esse moraliter certus de confirmandi idoneitate. Pass. *n. 90.* Quinimò, si adsit intrusus & contradictor, in sumenda illa informatione idoneitatis, quam confirmator accipit ex officio pro sui informatione, non esse ad hoc opus citare intrusum, vel

contradictorem illum, cum informatio illa sumatur pro informatione confirmatoris, ne officium detur indigno (uti nec Executor literarum Apostolicarum concedentium beneficium in formâ dignum, tenetur citare intrusum vel contradictorem, si quis sit, ut ex Leone in *Thef. fori eccl. c. 17. a. n. 13. & Rota decif. 4. de sent. & rejudic. n. 5. in antiq. probat. Garc. p. 6. c. 2. n. 243.*) tradit Pass. *cit. n. 90.* Qui tamen benè monet, debere semper confirmatorem in hoc servare formam, si aliqua est statuta à lege vel consuetudine.

4. Respondeo ad secundum: quando confirmator procedit ex officio, nisi præcedat infamia, vel aliud indicium sufficiens ad inquisitionem specialem, non posse confirmatorem inquirere in specie, sed solum in genere inquirendo, cujus fama sit electus, tradit Pass. *n. 91.* citans pro hoc Castell. *de elect. c. 1. q. n. 10. Lavor. c. 25. n. 56. Abb. in c. postquam. n. 5.*

Questio 485. An ergo etiam sufficiat notitia extrajudicialis, seu quòd informet se extrajudicialiter de valore electionis, & electi vita ac moribus, dñ & vult cassare electionem, siquidem longe diversa est in hoc ratio, cum injusta confirmatione per se fiat injuria solum bono communi; per injustam verò cassationem fiat injuria bono communi, Electoribus & electo?

Respondeo: confirmatorem, etiâ dum procedit ad cassandam electionem, & negandam electo confirmationem, non teneri procedere judicialiter, examinando testes cum juramento, & servatis illis juris solemnitatibus, quæ servari debent, ubi non proceditur summarie, & sine strepitu iudicii; sed sufficit, quòd causam rationabilem, quæ illum movit ad cassandam electionem, probatam habeat extrajudicialiter per fidem dignorum, literas testimoniales, & famam, dum modò de ea certus sit moraliter. Donat. *To. 2. tr. 7. q. 9. n. 8. Barbof. juris eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Pass. de elect. c. 33. n. 138.* citans pro hoc Abb. *in c. postquam. de elect. n. 5. Anchar. n. 3. Lavor. de elect. c. 25. n. 59. Sigism. dub. 44. n. 8. Peyr. in formular. lit. C. c. 18. n. 7. Salgad. de potest. regia. p. 2. c. 13. n. 15.* & plures alios, ac dicens sic servari in Ordine Prædicatorum, Minorum ac Minimorum, probatque id Pass. *ex c. indemnitatibus. de elect. in 6.* ubi *§. sane.* dicitur: *tunc super objectis partis alterius, si qui fuerint, & super aliis, quæ in tali negotio sunt inquirenda ex officio, plene sine strepitu iudicii & figurâ per Superiorem inquiratur primitus, an requam confirmetur eadem electio, vel etiam infructur: qui textus etiam loquitur de electione Abbatissæ, quia tamen favorabilis, intelligatur ab AA. universali ter, qui non in alio sensu intelligant & explicant *c. postquam. de elect. citatque pro hoc potremo Castell. de elect. c. 14. n. 47.**

Questio 486. An ergo possit confirmator in confirmando vel cassando electionem uti notitiâ privatâ?

Respondeo: id confirmatorem non posse; sed semper debere secundum allegata & probata procedere, Pass. *de elect. c. 33. n. 140.* dicens esse conclusionem ex terminis manifestam. & *n. 144.* ubi pro hoc citat Portell. *p. 2. casu. 4. n. 3.* Lavor. *variar. lucubrat. tit. 4. de elect. c. 25. n. 59.* Peyr. *in formular. lit. C. c. 18. n. 6. & 7.* Donat. *in pr. p. 2. tr. 7. q. 9.* qui tamen postremus expressè contrarium tenere

vide-